

VII. *Fructus Baptismi*, qui est renovatio Spiritus S. ad cuius actus specialis etiam pertinet operatio pœnitentiæ subinde repetendæ & peragendæ. Unde LUTHERVS in *Catechesi majori* p. 550. *Resipiscentia aut pœnitentia nihil aliud est, quam regressus quidam & reditus ad Baptismum, ut illud iterum petatur & exerceatur, quod ante quidem inceptum & tamen negligentia intermissum.* Nil itaque facilius Spiritui S. quam vires in regeneratione datas etiam in infantibus ulterius augere & pœnitentiam novam largiri.

§. XVII. Si qua igitur supersint dubia, haud difficulter tollentur. Nam si dicatur I. *infantes ideo saltem congregatos fuisse, ut vagitu suo DEVM iratum leniant*, revera tribuitur vagitui, quod operationi Spiritus S. tribuendum erat, DEVS enim non movetur vagitu, sed pœnitentia vera. Quod II. dicitur, *per parvulos adductos etiam adultos eo magis ad preces fundendas incitari*, non tollit in illis pœnitentiam, sed firmiter potius eam ponit, sola enim præsentia parum facit incitamenti, sed plus affert impedimenti orantibus. Quando III. dicitur *agnitionem peccati & dolorem in infantes non cadere*, vereor, ne operatio Spiritus S. in infantibus nimium coarctetur & restringatur, quid enim facilius quam dolorem perinde ac fiduciam, agnitionem peccati perinde quam agnitionem Christi operari? Etsi IV. objiciatur, *infantes neque dextram neque sinistram nosse*: absolute illud non esse capiendum facile quilibet videt, alioqui enim etiam omni notitia naturali & salvifica destituerentur infantes, quod tamen aliter se habet. Quando V. dicitur: *Peccatum non per pœnitentiam, sed per baptismum, expiari*, recte tribuitur Baptismo remissio peccatorum, non tamen excludi possunt actus gratiæ Spiritus S. applicatorii reliqui. Si dubium sit,

D

sit,